

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lucas LeGrand


Specimen Observationum Subitarium

Basileæ: Typis Emanuelis Thurneysen, [1757]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002326184>

Druck Freier  Zugang





KK - 1 (21.)

Beck. de rom. discipl. publ. med.

XXI.

Becker. de Proxeneto.

Benecke. de vero hered. pet. obj

Bernoulli. Obs. jurid.

Bleiner. Antiphon. ad beo.

Bleysw yk. de G. Niccio Scavola.

Castendyn. de reb. manc.

Diemer. de iuris. Tribun. plebis.

Engelbrecht. de Consulibus.

Gruner. de poenis roman. printis.

Le Grand. Obs. subit. Spec. II.

^{Hab. de} Jurisdictione Trip. plebis.

Martini. de Advocatis

Mellmann. ad d. s. C. de Donat.

Müller. de clausula codicilli.

Overbeck. de Collocatone depositi.

Platner. de Legg. sumtuar. Exerc. II.

Pohl. de fatis praeser. longis. temp.

Rau. ^{de Recario.} Resonis rett. Actor.

Rumpff. de jure deliberandi.

Schlichtkrull. de act. pign. contra tertium.

Schott. de coecitate in testam.

- hys. hys. in bonis etc.

Stockmann. ^{de popinis rom.} de Separationibus

Trummer. ^{de Crelionis} solemnitas.

Walch. de stipul. domini inf.

Weber. de pecunia hereditaria.

Wendler. de testam. fact. malierum.

Zepernick. de test. destituti viribus.

--- de legitima portione parent.

32. Okt

Secundum.

SPECIMEN
OBSERVATIONUM
SUBITARIUM,

QUAS

SUB AUSPICIIS SUMMI NUMINIS
EX DECRETO
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
OCCASIONE
VACANTIS INST. ET J. PUBL. CATHEDRÆ

PLACIDO CLARISS. COMPETITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

LUCAS LEGRAND, J.U.L.

& Fori academ. Assessor.

ad diem 4. Octobr. A. P. CH. N. M DCC LVII.

H. L. Q. C.



BASILEÆ,

Typis EMANUELIS THURNEYSEN.



THESS. I.



Ocatio conductio ex illis est bonæ fidei contractibus, in quibus utriusque pacifcentium versatur utilitas, quare dolum dumtaxat & culpam præstare tenentur utrique secundum L. 5. §. 2. ff. Commodati. cum vero paœta legem dent contractui L. 23. ff. De R. I. sibi optime constat Ulpianus, quando ad præstandum casum fortuitum atque custodiam teneri pronunciat eum, qui hac lege contraxerit L. 9. §. 2. L. 13. §. 5. ff. Locat. conduct. Itaque vix ambigendum mihi videtur, interdum etiam in aliis ejusmodi cauſis ex arbitrio boni viri pro circumstantiis in hocce ipso contractu quid amplius aut minus præstari debere; etiam si de eo nihil expreſſe inter pacifcentes convenerit, quippe cum solum commodum pacifcentium fundamentum sit regulæ d. L. 5. §. 2. quæ adeo regula tacitam his de rebus involvere videtur conditionem: cui accedit, quod uti in omnibus bonæ fidei contractibus, ita etiam in hoc ex bono & æquo præstandum inculcatur, quod in Lege prætermisum fuerit §. 5. I. De locat. & conduct. Tit. Inst. De obligat. ex consens. cum quibus confer. L. 24. pr. ff. Locat. conduct.

THESS.

Ea, quæ ex hostiis capimus, Jure gentium statim nostra sunt.
 Ait Imperator in §. 17. Inst. De rerum divisi. ex L. 5
 §. ult. ff. De acquir. rer. domin. quo in loco Interpretes equi-
 dem in diversa abeunt, in hoc vero plerique convenient,
 quod res immobiles Reip. aut Duci, cuius auspiciis bellum
 geritur, acquiri statuant, quam in rem afferre solent L. 20.
 §. 1. ff. De captiv. & postlim. de mobilibus autem diversæ
 sunt diversorum sententiæ, quorum in primis hac de re ex
 principiis Juris Gentium quomodo decernendum sit, ex Ro-
 manorum aliarumque gentium consuetudine egregie osten-
 disse mihi videtur Grotius de Jure B. & P. L. III. c. 6. Atque
 ita quidem Jure veteri Rom. aliarumque gentium sese res
 habet. Imperii autem Romano-Germanici institutis res im-
 mobiles Imperio, mobiles cuivis occupanti acquiruntur,
 modo privatissimæ potestas prædæ causa excursiones in hostem
 faciendi a Duce suo sit concessa. Ordinat. militar. de anno
 1570. (Reuter-Bestallung) Artic. 83, 84, 96. dict. Ordinat.
 militar. Artic. 203. (Fuskechts-Bestallung Artic. 62.)
 Excipiuntur tamen tormenta bellica, tum quæ ad commea-
 tum pertinent, & si quæ sunt alia horum similia. dict. Artic.
 96. dict. Artic. 203. (62.) Quare autem hoc? Respondet
 Hoppius in Commentar. ad d. §. 17. Inst. De R. D. propter
 ea fieri, quod res ejusmodi aliis sint pretiosiores, atque eam
 ob causam immobilebus annumerari. At, inquam ego, nulla
 plane hæc est causa, cum plurimæ alia in vastatione urbium
 diripi constet, quæ pretio utique æquiparant tormenta bel-
 lica, ea, quæ ad commeatum pertinent &c. veluti sunt gemi-
 mæ, tabulæ pictæ, signa, toremata atque alia id genus,
 quæ tamen ideo populi victoris Domino hanc ob rationem
 cedere nemo dixerit. Itaque omnino aliunde hujus rei ratio
 est petenda: inde nempe, quod earum rerum proprietas aut
 ad Remp. devictam pertinet, atque adeo ita comparatæ sunt,
 ut ne recipient quidem dominium privatorum; haud secus
 atque regalia, quæ etsi sua natura ab aliis occupari & acquiri

omnino possint, tamen commercio privatorum exenta sunt, aut immobilibus accensendæ sunt eæ res sive propter suam destinationem, sive propter coherentiam cum immobilibus &c. Ut ne de eo aliquid dicam, quod nullum omnino usum privatis præstare possunt tormenta bellica, quippe quibus utendi si tantum habent occasionem, quorum auspicio bellum licet gerere.

T H E S. III.

Sunt inter JCtos, qui cum de mutua Domini ac vasalli inter se se obligatione agitur, argumenta petunt ab obsequio liberti erga patronum. Hi quantum a vero aberrent, jam pridem viri doctissimi docuerunt. Ac mihi quidem ita videatur, in quibusdam convenire, in aliis autem multum distare; illud vero certo constat, neque libertum neque vasallum patronum aut dominum famosa actione convenire posse L. 2. L. 5. §. 1. L. 9. ff. De obseq. parent. & patron. præstand. Text. 2. F. 33. §. 1. Cui omnino consequens est, ut si dominus, qui tutelam vasalli impuberis suscepere, in ejus administratione suspectus fiat, ejus famæ parcere perinde oporteat, atque patroni ipsius §. 2. I. De suspect. tutor. vel curator. L. 9. ff. eod. tit. quod tamen eo rarius usu venit, quo frequentior Jure feudal i in Feudis potissimum majoribus tutela est fructuaria Fleischer Inst. Jur. Feud. c. viii. ex quo difficilior evadit malæ fidei probatio in ejusmodi tutela feudal i, quam in tutela civili. Cæterum in Electoratibus fane inutilem hanc questionem esse fateor, cum in illis legitima obtineat tutela sec. A.B. Tit. vii. §. 4. ac ad Imperatorem, qua Dominum id oneris nunquam devolvatur. Atque etiam de eo, an testamentariæ locus sit, valde dubito: Quinimo Viro Illustri P. a Ludewig plane assentio, quantum hac de re egregie differit commentar. ad A. B. loc. cit.

T H E S. IV.

Vassallus si fratrem domini sui interficerit, beneficium non amittit, sed amittit omnino, si fratrem suum, quo solum potiretur hereditate, occiderit per diserta textus verba

2. F. 37.

2. F. 37. attamen beneficio mulctatum iri puto, qui fratrem domini sui interficerit, si in læsionem atque contumeliam domini id eum fecisse constet. Apparet enim ex iis, quæ super reliquis feloniarum speciebus in Jure feudali constituta habentur, gravem quamlibet læsionem domini ex parte vasalli feloniam esse arg. 2. F. 23. & 24. nec quicquam interesse, utrum directe, an indirecte lœdat dominum. v. Schilt. Inst. Jur. Feud. c. 8. Fleischer. Inst. J.F. c. XXI. Stryk. Exam. J. Feud. c. XXIII.

T H E S. V.

Quum consensus non adsit, ubi dolus intervenit vel deceptio, nihil rationi magis congruum, atque hoc, neque jusjurandum servare teneri, qui dolo ad id suscipiendum fuerit inductus. Itaque summam æquitatem adhibuisse mihi vindicentur Impp. Leo & Anthemius, quando in L. 42. C. De transact. Acrochirio P. P. hanc in sententiam rescripferunt, etiam civiliter retractandas esse transactiones ex falsis instrumentis initas, falso revelato, quamvis jusjurandum de his interpositum sit. Utrum vero religionis Christianæ atque etiam naturalis principiis haud repugnet, quod jurisjurandi vi metuere extorti vinculo absolvunt Pontifices, veluti Cœlestinus III. cap. *Verum in ea. 15. X.* De jurejur. aliique eo magis dubito, quo certius, verissimum esse illud Philosophorum postulatum, *Justum & tenacem propositi virum nihil quicquam cogi unquam potesse* (*). Quod ita tamen intelligi volo, si

A 3

non

(*) HORAT. Epist. I. 16.

*Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheū
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum cogenit. Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lector, argentum: tollas licet. In manicis &
Compedibus sevo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque volam, me solvet. opinor,
Hoc sentit; moriar. Mors ultima linea rerum est.*

non illicitum aut bonis moribus contrarium sit, quod jurato promittere aliquis coactus fuerit; ejuscemodi enim jurejuringo, quin recte absolvant Pontificum decreta, etiam si neque vis neque metus intervenerit, dubium non est v. Caus. xxii. Quæst. 4. cap. 58. De R. J. in Sexto.

THESS. VI.

Rationem computandi gradus consanguinitatis ex Jure Canon. tradit, ac speciosis magis, quam solidis rationibus fulcire conatur Alexander II. Pontifex maximus Cap. ad Seden. 2. Caus. xxxv. Quæst. 5. Vix enim est, ut quicquid pro eo decreto afferant auctoritatis ejus patroni, incommoda tollere queant omnia, quibus laborat arbor consanguinitatis Juris Canonici, quippe quæ plures personas licet gradu quammaxime diversas eodem contrudit gradu, quod probe perspexerunt ipsis Pontifices. Itaque haud immerito mireris, quod apud Protestantes, apud quos nullus aut perquam certe rarus dispensationum est usus Canonica gradus consanguinitatis computandi ratio auctoritatem obtinere unquam potuerit. Conf. Carpzov. Jurispr. Eccl. L. II. Def. 75.

THESS. VII.

STICHUM AUT PAMPHILUM, UTRUM HERES MEUS VOLET TITIO DATO; *Si dixerit heres, Stichum. se velle dare, Sticho mortuo liberabitur.* Ait Julianus in L. 84. §. 9. ff. De legat. 1. quæ de eo herede, qui in bona fide fuerit, & cuius neque dolo, neque culpa acciderit, ut moreretur servus legatus plane constat ex iis Pauli Recept. Sentent. L. III. T. vi. §. 9. *Servo fataliter interento, legaturi damnum est, quia legatum nulla culpa heredis intercidit.* Illud vero nescio, an omnino id sufficiat, quoniam heres licet per eum non steterit, quomiuus periret servus legatus, interdum tamen ad id, quod interest præstandum tenetur, si verbi causa mora ejus inter-

intervenerit, L. 39. §. 1. ff. d. Tit. De legat. 1. atque adeo
per eum steterit, quominus vivo eo eum legatario traderet. L. 23.
 ff. De V. O. idque propter eam rationem, quam tradit Ul-
 pianus in L. 47. §. ult. ff. d. Tit. De legat. 1. *Potuit enim eum*
acceptum legatarius vendere.


T H E S. VIII.


Alia apud Romanos fuisse sepulchra familiaria, alia here-
 ditaria, apparet ex L. 5. ff. De relig. atque hæc quidem
 omnibus heredibus, atque adeo etiam extraneis patuissse re-
 cte existimat Hein. Synt. Antiqq. ad Inst. L. 11. T. 1. De rer.
 divis. §. 7. contra illa universæ familiæ, extraneorum autem
 nemini: de quo tamen vehementer vñeror, ut consilere sen-
 tentia ejus possit cum L. 13. C. De relig. Ibidem tertium quo-
 que addit sepulchorum genus, quod neutrius juris fuisse in-
 fert ex Grut. Inscript. P. DCCCCXCIII, 4. P. DCCCCXC, 2. quibus
 adjungi posse existimo, quæ extant apud eundem P. DCCCCXXV,
 21. P. DCCCCXI, 7. P. DCCCCLXXXVI, 7. &c. Ac de his quidem
 atque hereditarii pluribus hic agere superfedeo. Familiaria
 autem monumenta quod attinet, cum eum potissimum in
 iis comparandis propositum sibi scopum veteres habuisse
 constet; NE DE NOMINE DEVE FAMILIA EXIRENT.
 &c. Grut. Inscript. P. DCXXXVIII, 4. P. DCCCLXXV, 2. P.
 MCXL, 7. aliisque, atque hanc ob causam non ea solum mo-
 numenta, a quibus extraneos arcebant cum libertis liberta-
 busque ac posteris eorum communicasse, verum etiam iis-
 dem haud infreuerter eorum fundorum reliquiss posse-
 sionem, quos in nomine ac familia uti permanerent sedulo
 curabant. L. 77. §. 15. L. 88. §. 6. ff. De legat. 2. L. 38. §. 2.
 L. 94. ff. De legat. 3. L. 108. ff. De condit. & demonstrat.
 junct. L. ult. C. De verb. & rer. signif. equidem dissimulare
 haud possum, infirma admodum mihi videri, quibus eorum
 opinio subnititur fundamenta, qui ne familiarium quidem
 monumentorum participes fuisse libertos, nisi heredes exti-
 tissent

tissent patrono ex sententia Papiniani, quam suam facit Ulpianus in L. 6. ff. d. Tit. De relig. inferendum existimant. Saltem illud videre nequeo, quidnam impedire me debeat, quominus huncce Ulpiani locum nonnisi de monumentis hereditariis una cum Kirchmanno de funer. Rom. III. 13. aliisque una intelligere velim, quibus illud quoque in primis patrocinatur; quod haud infrequens in Titulis monumentorum familiarium occurrit mentio ingratorum, impiorumque libertorum, ac libertarum, QUI PROPTER DELICTA SUA ADITUM AMBITUM ULLUMVE ACCESSUM HABERE IN MONUMENTO VETANTUR. apud Grut. Inscript. P. DCCCLXII, 5. junct. P. DCCXLIV, 4. aliisque; quod sane non fuisset necessarium, si ipso Jure a sepulchrorum familiarium communione fuissent exclusi liberti, qui heredes patrono non extitissent.

T A N T U M.







STOLA PRAESIDIS

A D

RESPONDENTEM.

69

lia tanta, ut frenis potius, quam calcaribus, opus fit, et
obitatis tramite deflecti nescia mens, sunt quae commen-
cutores. His si accedit ingenium docile et fertile, et
trinum perfectum. De TE subsumo PRAENOBILISSI-
TISSIME DN. RESPONDENS. Morum TVORVM ele-
 omnibus nota est, itaque, cum notoria nulla indigeant
is nihil addo. Quoad TVVM discendi ardorem, et egre-
s, effectus testatur de sua causa, doctum nimirum, quo
specimen, de TVA eruditione. Ast, quum detur falla-

H 3

69

the scale towards document

Patch Reference number on UTT
TE263 Serial No. 0-211
Image Engineering Scan Reference Chart